



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum Christianarum Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helgestadi[i], 1671**

Cap. III. Quare Iacobus sit frater Domini dictus, Haymo, De eadem materia, secundum quod reperit in Sententiis Patrum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

ECCLESIAE LIB. II.

Duos autem Iacobos fuisse constat: unum fratrem Ioannis, alterum hunc Iustum, fratrem Domini: qui frater Domini dictus est pro eo, quod esset filius Ioseph, qui Christi quasi pater habebatur.

C A P. III.

*Quare Iacobus sit frater Domini dictus,*

H A Y M O,

*De eadem materia, secundum quod reperit in*

*Sententiis Patrum.*

SCIUNT etiam qui diligenter exploraverunt, quia Frater Domini sit dictus, tanquam cognatus sit. Hic enim mos Hebræorum, cognatos vel propinquos *Fratres* dicere vel appellare. Frater igitur Domini sic dictus est, quia de *Maria*, Sorore matris Domini, & patre *Alphæo* genitus est. Vnde *Iacobus Alphæi* appellatur. Sed quoniam nunc se ingessit occasio de duobus *Iacobis*, omnem quæstionem rescindamus, & altius generis eorum repetamus originem. *Maria* mater Domini, & *Maria* mater Iacobi, fratris Domini, & *Maria* Iacobi, Fratris Iohannis Evangelistæ, sorores fuerunt de diversis patribus genitæ, sed de eadem matre, scilicet *Anna*. Quæ *Anna* primo nupsit *Ioachim*, & de eo genuit *Mariam* matrem Domini. Mortuo *Ioachim*, nupsit *Cleophæ*, & de eo habuit alteram *Mariam*, quæ dicitur in Evangeliiis *Maria Cleophæ*. Porro *Cleophas* habebat fratrem *Ioseph*, cui filiam suam beatam *Mariam* desponsavit. Suam verò filiam dedit *Al-*

B

*phæo,*

*pheo*, de qua natus est *Iacobus minor*, qui & *Iustus* dicitur, frater Domini, & *Ioseph* alius. Mortuo itaque *Cleopha*, *Anna* tertio marito nupsit, scilicet *Salome*, & habuit de eo tertiam, de qua, desponsata *Zebedæo*, nati sunt *Iacobus major*, & *Ioannes Evangelista*. Sed jam ad Historiæ narrationis ordinem revertamur.

## C A P. IV.

*De Tathæo misso ad Edessam, & de epistolis missis ab Abgaro Rege ad Christum, & à Christo ad Regem Abgarum.*

Sub hoc itaque tempore *Tathæus* à Domino mittitur ad *Abgarum*, Regem Edessenorum, qui eum ab ægitudine curat, & civitatem absolvit ab errore.

## H A Y M O.

Hujus rei prolixior in aliquo scripto reperi historiam, sed nescio si apocrypha est: Quæ quia de fidei pietate descendit, necessarium duxi eam huic operi inserere. Dicitur enim, quia de Salvatore nostro, adhuc in carne degente, cum de miraculis ejus felix ubique fama loqueretur, quod misit ad eum *Abgarus Rex Edessenorum* Epistolam, in qua magnis precibus rogabat eum, ut veniret ad se, & curaret eum à lepra. Dicit etiam quod ex multis annis cupierit eum videre, & ideo monet, ut veniat ad se, & se expediat de odio Iudæorum, & habitet secum, quia haberet civitatem, quæ sufficere posset utrisque. Dominus autem rescribit ad eum propria manu epistolam, in qua primum beatum illum asserit pro eo, quod credit in eum, quem non videt. Secundo